



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regula XXVIII. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad
consequentia sunt trahenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

falsa moneta. Non obstat textus in *cap. Constringit 39. Ext. De sent. excom.* ubi is, qui scientem & consentientem Clericum percussit, nihilominus excommunicatur, tamquam manus injurias Clerico intulerit. Quia Clericum percussit non tam ipsi Clerico, quam Ordini clericali injuriam infert, cujus hoc privilegium est, *d. cap. Constringit De sent. excom.* cuique Clericus renuntiare non potest, *cap. Si diligenti Ext. De foro compet. l. ius publicum D. De pact.*

Nec impedit textus in *l. unica C. De rapto virg.* quo & raptores puniuntur, etiam si volentem mulierem honestam abduxerint. Sed id accidit,

quod lex presumat mulierem non liberè abductam, sed dolosà persuasionem ipsius raptoris: persuadere autem plus est, quam compellere aut cogi sibi parere, inquit Ulpianus, in *l. 1. §. persuadere D. De servo corrupto.* Sed neque movet *l. Si quis servo 20. C. De furt. & ser. cor.* quia licet ibi revera neque servus corruptus, neque invito domino res ablatae sint; tamen ideo placuit, actionem furti & servi corrupti dari, propter dolum ipsius inducentis & corruptentis servum, & & hoc hujusmodi impunitas in consequentiam trahatur. Itaque singularis casus est.

REGULA XXVIII.

Quae à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentia sunt trahenda.

PAulus J. C. *Quod contrarationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentia.* *l. Quod contra 141. D. hoc tit.* Eadem utriusque Regulae sententia est. Ea autem exorbitare dicuntur, quae ab orbita, id est, à via communi defleunt; qualia sunt dispensationes, privilegia, statuta juri communi contraria, quae in consequentiam, hoc est, ad alias personas sive casus non sunt producenda, sed suis terminis constringenda, *cap. Sane 9. Ext. De privil. cap. Constitutus 18. De concess. prob. e. Cui 27. De praeben. lib. 6. cap. 3. Ext. De consang. & affin.* Cum enim jus commune favorabile sit, ut pote ab omnibus ob publicam utilitatem receptum; certe quae juri communi refragantur, tamquam odiosa restringenda sunt, & quantum fieri potest, interpretatione revocanda ad commune: sicut latius supra explicavimus, *ad c. Privilegia & ad cap. Odia.*

Ex aequitate hujus Reg. profectum est, quod licet mulieri liberisque suis privilegium competat, ut in dote reperenda praferantur creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus; non tamen idem communicetur aliis haeredibus mulieris, *l. unica C. De privilig. dor.* siquidem illud

privilegium juri communi derogat, quo is, qui prior est tempore, potior est jure, *l. Posteriori. D. Qui potiores in pig. hab. l. Si generaliter 6. C. d. tit. cap. Qui prior inf. h. tit.* Et cui dispensatio facta est ad dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum, nullà mentione factà curati beneficii, non potest ad curatum admitti, *cap. In illis 16. De praeben. in 6.* nec ad plura beneficia, quam unum, *cap. 1. §. illa verè De fil. presby. in 6.* Dispensatio enim utroque casu laedit jus commune.

Quod spectat, quod à Pomponio J. C. responsum est in *l. Patri 10. D. Ad L. tul. de adulter. Patri,* inquit, datur jus occidendi adulterum simul cum filia, quam in potestate habet. Itaque nemo alius & parentibus idem ius faciet, sed nec filius familias pater. Cum enim juri communi adversum sit, ut pater filiam vel alium quemlibet occidat, certe lex Julia, quae facultatem dat patri occidendi adulterum unà cum filia, quam in potestate habet, meritò ad alios parentes non transfertur, ex ratione hujus Regulae nostrae. Tametsi si veritatem ipsam spectemus, ac quidem ipsi patri filiam in potestate sua constitutam adulteram occidere liceat, *per text. in can. si quod verius XXXI 11. quaest. 1.*

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

EAdem Regulae apud Justinianum extat in *l. fin. C. De auctoritate praesam.* Neque enim alteri per alterum iniquus conditio inferri de-

bet, *l. Non debet alteri 74. D. hoc tit.* neque id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri, *l. id quod nostrum 11. D. eod.* Ad hanc Regulam pertinet